Quelle: http://manuscripta.at/?ID=957
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

tentiam proferre recusarent. nimiis exprobrationibus et contumeliis
utitur. Et sic soluta obsidione. unusquisque ad propria redit. Ea tem-
pestate. Odalbaldus sanctus vir traiectensis ecclesie presul. crebrius
humanis sublatus. ad celeste regnum transiuit. In cuius loco
subrogatus est Ratboldus venerabilis antistes. Circa confinia me-
morati anni. Arnolfus imperator migravit a seculo. III. Kal. decemb.
sepultusque est honorifice in Radispona in basilica sancti Hemmeram-
mi martyris. quem ipse diu vivens multum veneratus est. Anno dominice incar-
nationis DCCCC.

Proceres et optimates qui subditione
Arnulfi fuerant. ad Forcheim in unum congregati. Lude-
wicum filium prefati principis quem ex legitimo matrimonio sus-
ceperat. regem super se creant. et coronatum regiisque ornamentis
indutum. in fastigio regni sublimant. Dum hec in Germania
aguntur inter Zendeboldum et primores regni. inexpiabilis oritur
dissensio. propter assiduas depredationes et rapinas que in regno
fiunt. Et quia cum mulieribus et ignobilioribus regni negocia
disponens. honestiores et nobiliores quosque regni deiciebat. et
honoribus et dignitatibus expoliabat. Pro huiuscemodi itaque cau-
sa omnibus odiosus efficitur. Certatim igitur ad Ludewicum
transeunt. eumque in regnum introducunt. et in Theodonis
villa manibus datis. eius dominationi se subiciunt. Ludewi-
co transrenum euntem. Zendebold coadunatis quoscumque potu-
it. civitates regni circuit. incendiis ac rapinis cuncta de-
vastat. arbitratus defectores qui propter eius insolentiam. et im-
manem maliciam ab eo defecerant. immaniora et peiora fa-
ciens ad se revocare posse. Ludewicus in regnum rursus
accersitur. Et a comitibus Stephano. Gerhardo. et Matfrido
circa Mosam isdem Zendebold in prelio interficitur. Eodem an-
no Gerhardus comes. Odam uxorem eiusdem Zendeboldi
regis sibi in matrimonium copulat. Anno dominice incarnationis DCCCC. I.